



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Diploma Ioannis Papae XIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

ANNO  
 CHRISTI  
 970

in violatores, si qui forte emerferint perpetui anathematis ultionem. Igitur domini prædicti apostolici eidem loco directum testamentum venustæ recordationis rex Edgarus super aram beatissimæ Dei genitricis Mariæ ibidem ad perpetuale posuit monumentum, iubens diligenter asseruari in posterum ad notitiam quorumque sequentium.

Ea etiam vtraque, ne videamur talia commentari, his gratum habuimus subdere aduersus eos, qui non vt pastores per ostium intrare, sed vt fures & latrones in idem ouile sanctæ Mariæ aliunde quærunt irrumpere.

DIPLOMA IOANNIS PAPÆ XIII.

\* Sic in  
 exemplari.

Nouerit cunctorum notitia fidelium quod ego Ioannes \* XII. Conditoris clementia sanctæ Romanæ sedis existens indignus papa, gloriosi Anglorum regis Edgari, nec non & sanctæ Dorobernensis ecclesiæ archipræfulis Dunstani summissio pulsatus sum rogatu, pro monasterio sanctæ Mariæ videlicet Glastingeberi, quod ipsi acti amore superni regis in multis & magnis possessionibus ditauerant, monachorum inibi multiplicantes normam, præceptoque regali firmauerant, quod & ipse facere non differam. Quorum assentiens benignæ petitioni, in sinu Romanæ ecclesiæ, & beatorum apostolorum protectione, eundem locum suscipio, & priuilegiis astruo & corroboro; quo fine tenus in eo quo nunc pollet permaneat monachali ordine. Ipsi quoque monachi de suis sibi adhibeant pastorem. Ordinatio vero tam monachorum quam clericorum in arbitrio abbatis & conuentus fit. Decernimus etiam vt nulli omnino hominum eamdem insulam, causa placitandi, vel aliquid perferendi aut corrigendi, intrare liceat. Si quis autem id molitus fuerit contraire, aut possessiones eiusdem ecclesiæ auferre, retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, ex auctoritate Dei Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sanctæque Dei genitricis Mariæ, ac sanctorum apostolorum Petri & Pauli, omniumque sanctorum, perpetuæ sit addictus maledictioni, nisi resipuerit. Omnibus vero eidem loco iusta seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, Amen: nostraque stipulatio inconuulsa permaneat.

Actum tempore Ælfardi eiusdem monasterii abbatis.

Ioannis papæ XIII. confirmatio.



Hæc igitur prædictus rex Edgarus duodecimo anno regni sui sacro scripto Londoniæ confirmavit, eodemque anno (qui fuit nongentesimus sexagesimus quintus dominicæ incarnationis) præfatus papa Romæ in generali Synodo auctorizavit: cunctosque potioris dignitatis, qui præfuerunt eidem Concilio generali, ea corroborare imperavit. Perpendant ergo contemptores tantæ comminationis quantæ subiaceant sententiæ excommunicationis, &c.

ANNO  
CHRISTI  
970.

## CHARTA EDGARI REGIS.

*Ex vetusto manuscripto codice Glastoniensi.*

**I**N nomine Domini nostri Iesu Christi. Quamvis decreta pontificum & verba sacerdotum inconuulsis ligaminibus velut fundamenta montium fixa sunt, tamen plerumque tempestatibus & turbinibus sæcularium rerum religio sanctæ ecclesiæ maculis reproborum dissipatur ac rumpitur. Idcirco profuturum succedentibus posteris esse decreuimus, vt ea quæ salubri consilio, & communi assensu diffiniuntur, nostris literis roborata firmantur. Quapropter dignum videtur vt ecclesia beatissima Dei genitricis semperque virginis Mariæ Glastoniæ, sicut ex antiquo principalem in regno meo obtinet dignitatem, ita speciali quadam & singulari priuilegii libertate per nos honoretur.

Glastonia  
principalis  
regni eccle-  
sia.

Hoc itaque Dunstano Dorobernensi atque Osvaldo Eboracensi archiepiscopo adhortantibus, consentiente etiam & annuente Brithelmo Fontanensi episcopo, ceterisque episcopis, abbatibus, & primatibus, ego Edgar diuina dispositione rex Anglorum, ceterarumque gentium in circuitu persistentium gubernator & rector, in nomine almæ Trinitatis, pro anima patris mei qui ibi requiescit & antecessorum meorum, præsentis priuilegio decerno, statuo, confirmo, vt prædictum monasterium omnisque possessio eius ab omni tributo fiscalium negotiorum nunc & in perpetuum libera & quieta parmaneat, & habeant focam & facam, &c. ita libere & quiete sicut ego habeo in toto regno: eandem quoque libertatem & potestatem quam ego in curia mea habeo, tam in dimittendo quam in puniendo, & in quibuslibet omnino negotiis, abbas & monachi

Eius priuilegia  
sæcularia.Sicut regis  
in regno.